

Notariatsinstrument über die Beilegung der Streitigkeiten zwischen der Universität einerseits und Dr. Andreas Friesener von Wunsiedel und Magister Nicolaus Schreiter von Coburg andererseits durch Dr. Henning Gade von Havelberg. Leipzig, 1499 Febr. 23.

5 Hdschr.: Or. Perg. Archiv der Universität No. 19 mit sechs Siegeln an Pergamentstreifen.

:In nomine domini. Amen.: Universis et singulis presens publicum instrumentum lecturis pariter et auditoris pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo | nonagesimo nono, indictione secunda, die vero sabbatis, vigesima tertia mensis februarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, 10 domini Alexandri divina providentia pape sexti anno septimo, in nostrorum notariorum publicorum et testium infrascriptorum | ad hoc vocatorum specialiter et cognatorum presentia, personaliter constituti venerabiles, eximii et magnifici viri, domini magister Martinus Furman de Conitz, sacre theologie doctor et reverendi in Christo patris et domini, domini Tilonis episcopi Merseburgensis et alme universitatis studii | Liptzensis 15 cancellarii unici secretarius pro dicto domino episcopo vice ac nomine eiusdem ad hoc specialiter, ut asseruit, missus et deputatus ac etiam pro se ipso, nec non Nicolaus Zceler, artium magister et dicte universitatis studii Liptzensis rector, Iohannes Hennig de Haynis et Matheus Damerow de Prentzslavia sacre theologie, Iohannes de Breitenbach, utriusque iuris et inclite iuridice facultatis ordinarius, Leonardus Messbergk de Liptzk et 20 Iohannes Reynhart decretorum, Iohannes Schurig legum, Iohannes Scheybe utriusque iuris, Symon Pistoris de Liptzk et Wentzeslaus de Budwyss medicine doctores et artium magistri, magister Iohannes de Frigidofonte, facultatis artium dicti studii decanus, Iohannes Spira, Heinricus Greve de Gottingen, Sebastianus Brandenburg, Nicolaus Kleynsmit de Curia, Melchior Ludewig de Freyentadt, Iohannes Malsthawer de Nova Civitate, 25 Mathias Frawendinst de Sweydnitz et Petrus Nuenburgk, dicte facultatis artium seniores et magistri de Polonorum, Misnensium, Saxonum et Bavarorum nationibus, actu regentes ac predictam universitatem Liptzensem et facultatem artium eiusdem studii inter se respective representantes, suis ac aliorum citatorum omnium et singulorum atque eiusdem universitatis et facultatis artium nominibus tam coniunctim quam divisim ex una, nec 30 non egregii et venerabiles viri, domini Andreas Friesener de Wunsidel sc. sacre theologie doctor et Nicolaus Schreiter de Coburgk, artium magistri ex altera partibus, volentes hinc inde, ut asseruerunt, quarumlibet litium amfractus ad parcendum ultioribus sumptibus, laboribus et expensis amputare ac de et super omnibus et singulis causis, litibus, differentiis et controversiis inter easdem partes et unumquemque earum ratione quarundam 35 pretensarum iniuriarum, incarcerationum, spoliationum, dampnorum et interesse propterea passorum habitis, contractis et exortis atque deinde in Romana curia ad longum coram diversis sacri palatii causarum apostolici auditoribus ventilatis et tandem coram reverendo patre domino Achille de Grassis pallatii etiam auditore adhuc indecise pendentibus, finem brevem et amicabilem imponere ac lites et discordias huiusmodi sedare, omnemque ran-